

Matth. 6.25.

nemque, quamdiu Deo placet, conseruandam, destinantur. Quorsum verò nos? Ad finem illis eò præstantiorem, quo & anima, vt loquitur Dominus Iesus Christus, pluris est, quàm corpus, & corpus, quàm vestimentum. Quibus sanè verbis breuiter tria illa vulgata bonorum genera, animi scilicet, corporis, & quæ vocant, fortunæ, complexus est præceptor noster Iesus Christus. Ad quæ verò bona hominibus dispensanda nos vocauit? Non certè ad fortunæ, corporisque, sed animi bona: non ad consilia de rebus ciuilibus danda, non ad iura dicenda, non ad hæreditates herciscundas, non denique ad regna & Respub. gubernandas; sed ad regnum suum conseruandum, propagandum & ampliandum. Neq; etiam ad corporum curationem & cõseruationem; sed ad animorum salutem promouendam, ad instaurationem sanctorum (inquit Apostolus) ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi.

Per nostrum enim ministerium vult D. Iesus, electos donari cognitione Dei, non solùm quis sit, verùm etiam qualis sit, quæve eius natura, voluntas, potentia, bonitas, misericordia, iusticia, aliæq; Dei proprietates, quæ attributa vocari solent, & quibus natura Dei vtcunque nobis declaratur atque innotescit. Vult intelligi, quanta sit sua *φιλανθρωπία*, quippe qui nobis pro æterna vita & habitatione creauit de principio, immateriale, incorruptibile, amplissimum, splendidissimum, beatissimumque cœlum, supra omnes istos collocatum, quod & mox Angelis repleuisse creditur. Ad vsum autem præsentis vitæ, cœlos hosce omnes condidit spectabiles, tandemq; mutãdos,
& cum